

**1984-02-21 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Tribus Adhinc Diebus’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***TRIBUS ADHINC DIEBUS***

**BEATUS ANGELICUS CONFIRMATUR CAELESTIS APUD DEUM PATRONUS  
OMNIUM ARTES OPTIMAS MAXIMEQUE PICTORIAM PROFITENTIUM**

Ad perpetuam rei memoriam. – Tribus adhinc diebus adstantes Vos studiose ipsi quidem una cum interminata ferme turba ac Redemptionis Iubilaeum pro universi orbis artificibus sollemniter concelebantes ibi dedita opera ubi «iacet venerabilis pietor Ioannes de Florentia Ordinis Praedicatorum», in templo videlicet Romano Sanctae Mariae supra Minerva, motu Nostro proprio maturoque consilio pronuntiavimus immo et proclamavimus, eundem Ordinis Praedicatorum sacerdotem, Beatum Angelicum ubique appellatum invocatumque, tam ob vitae ipsius sanctimoniam quam ob picturarum excellentiam, Patronum apud Deum omnium artes ingenuas ac potissimum pingendi artem exercitantium. Placuit porro Nobis inter alia commemorare, id quod ceteroqui patet, quo ipse pacto res Christi gerens et Christo semper adhaerens ex suae donis naturae et artis pictoriae ministerio tantum per saecula spiritalis utilitatis pastoralisque auxilii attulerit et adferat etiamnunc omni Populo Dei. Ne quid vero iuris electioni Nostrae desit aut dignitatis cultui novi huius Patroni, iam volumus harum Litterarum virtute eundem illum confirmare Patronatum atque singula liturgica privilegia et officia, concessionem et praerogativas publice tribuere Beato Angelico caelesti apud Deum Patrono artes praesertim picturae factitantium prout aliis quoque sic destinatis Patronis lege congruunt secundum «Normas de Patronis constituendis» a Sacra Congregatione pro Cultu Divino die XIX mensis Martii anno MCMLXXIII editas. Quae cuncta Nostra edicta gloriae omnipotentis Dei maiorque hominum saluti profutura magnopere confisi cum nunc tum in posterum valere iubemus tempus, contrariis quibuslibet rebus neququam obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Februarii, anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*